

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Commentarii in primvm, secvndvm, tertivm, et quintum Ethicorum Philippi Melanchthonis

**Melanchthon, Philipp
Aristoteles**

Argentinae, 1535

VD16 A 3417

Commentaria tertius liber politicorum

urn:nbn:de:bsz:31-106587

COMMENTARIA
TERTIVS
LIBER POLITI-
CORVM.



AEPE aliàs dixi Aristotelem opti-
mum Methodi artificem esse, qua-
re & in his libris diligenter consy-
derandum est, quomodo ordine a-
lia præcepta ex alijs nascantur. Vt in alijs artibus
communissima principia sunt initia artium, ita coepit
in hoc libro Aristoteles à communissimis sententijs,
que sumptæ sunt ex natura hominis, seu à fine homi-
nis. Proinde in primo libro tractauit hæc principia
Homo natura ad societatem conditus est. **PRIMA**
societas est coniugium.

Hic addit quæ ad domesticam societatem con-
seruandam necessaria sint, & quæ sint partes do-
mus. Hinc aliud oritur principium, quod dominium
& seruitus ad societatem hominum retinendam ne-
cessaria sunt. Et quod natura postulet, ut alij domi-
nentur, alij seruiant. Hic ualde acute uidit in natura
imperij et seruitutis initia esse nobis proposita. Hinc
propagatur ciuitas, quum multæ domus seu familiæ
certo foedere coniunguntur.

Est et in secundo libro thesis tractata de rerum di-
uisione

IN POLIT. ARIST.

uisione. Ab his principijs paulatim crescit ars. Nunc enim libro tertio incipit definire ciuitatem, ac ciues, & recenset uarias formas imperij in ciuitatibus. Repetui autem superiora, ut Methodus cerni posset quam magnopere prodest obseruare, ut initia & progressionis, seu fontes & ordinem rerum in arte traditarum intelligamus. Porro quemadmodum supra precipuos locos tractauimus. Ita hic excerpemus ea, que plurimum habent in hac communi uita utilitatis. Ac prudens auditor diligenter animaduertere debet, quis usus harum disputationum esse possit. Quaedam profunt ad forensia negotia, ut que de uisuris supra diximus. Quaedam ad iudicandas controuersias, que de rebus ciuilibus interdum apud Theologos agitantur, ut que aduersus Platoniam rerum comunione diximus. Est autem in hac tota ratione studiorum obseruandum, quomodo ea que discimus in singulis artibus usui possint esse in summis artibus, que uel apud Respublicas regendas, uel ad priuatam uitam maxime necessarie sunt.

Ciuitas est societas ciuium iure constituta, propter mutuam utilitatem, ac maxime propter defensionem.

Ciues sunt, qui in eadem societate, Magistratus aut iudicandi potestatem consequi possunt. Finis omnium ciuium est publica utilitas, seu ut dicam clarius, tranquillitas uel incolumitas publici status, Sicut

Ciuitas.

Ciues.

COMMENTARIA

omnium naturarum finis est incolumitas nauis, tam
et si diuersa sint officia.

Politia. Politia est legitima ordinatio ciuitatis, secundum
quam alij praesunt, alij parent. Politia duplex est,
Recta, & corrupta. Rectae species sunt tres.

Regnum. Regnum est monarchia, seu unius principatus,
administrantis Rempublicam ad utilitatem commu-
nem, haec quum degenerat, uocatur Tyrannus, in qua
monarcha gerit imperium ad propriam utilitatem.
Ceterum infra species regni tradentur.

**Aristocra-
tia.** Aristocratia est paucorum optimatum princi-
patus, qui administrant Rempublicam ad utilitatem
publicam, qualis est status ciuitatis Norbergae. Quum
degenerat Aristocratia, sit ὀλιγαρχία, quum pau-
ci ad utilitatem potentium administrant ciuitatem,
qualis olim fuit Romae status Syllae tempore, aut nunc
uidetur esse Erfurdiensis Respublica.

**Democra-
tia.** Tertia species est, quum summum imperium est
penes populum, hanc quum degenerat, uocat Ari-
stoteles δημοκρατία, in qua uulgus autoritatem
suam confert ad augendam potentiam tenuiorum
ciuium contra optimates: qualem statum somniabat
plebs in tumultu rusticorum: aut qualis est propemo-
dum Heluetiorum status.

Deinde agitur questio, quae species sit optima:
nec dubium est quum monarchia seu regnum sit opti-
mus sta-

IN POLIT. ARIST.

mus status, ut docet Homerus: οὐκ ἀγαθὸν πολυ-
κοιραίν' εἰς κοίραυ' ἔσθ'. Sic iudicauerūt eti-
am Persarum principes apud Herod. lib. 3.

Recentiores interpretes in hoc loco disputant,
utrum oporteat unum aliquem hominē totius mun-
di monarcham esse: & quidam pronunciant Roma-
num Pontificem monarcham esse, ac sentiunt ei à
Christo commissam esse potestatem, non modo do-
cendi Euangelij, sed etiam regnia mundi constituen-
di & transferendi. In hanc sententiā ex Gratia-
no multa testimonia citantur. Et uidentur mihi isti
qui sic senserunt, maxime hac ratione decepti, quod
sicut in lege uideēt Reges à Pontificibus ungi, ideoq;
iudicant Reges accipere imperiū à Pontificibus. Ita
ratiocinantur Reges nunc oportere à Pontificibus
imperia accipere. Et quum Euangelium non ad unā
gentem, sed ad omnes pertineat, ideo putant Pontifi-
cem simul accepisse potestatem imperia apud omnes
gentes constituendi. Itaq; dant ei potestatem Reges
pro arbitrio cogēdi in ordinem, & multa alia, que
non est recensere locus, & hoc prætextu Romani
Pontifices sepe conati sunt Imperatoribus eripere
imperium, & alios Reges ex suis regnis eijcere, &
diu sūt persuasum uulgo hæresin esse, si quis neget
utrung; gladiū (sic enim loquuntur) ad Pontificem
pertinere. Sed hæc opinio longe dissentit ab Euan-

COMMENTARIA

gelio, Christus enim inquit: Regnum meum non est de hoc mundo. Item, Reges gentium dominantur eorum, uos autem non sic. Possunt & alia infinita citari, ex quibus constat, regnum Christi non esse ciuile regnum, sed æternum. Christus per Spiritum sanctum ita regnat, ut iustificet & uiuificet & gubernet corda sanctorum. Interim tamen non abolet externam ordinationem, que instituta est à Deo, ut impij coërceantur, et retineatur tranquillitas inter homines. Sed de hoc discrimine etiam aliàs diximus, Diligenter enim discerni debet imperium à potestate Episcopi. Episcopi officium est docere Euangelium, remittere peccata, minari iudicium Dei impijs, ut Christus inquit: Ite prædicantes Euangelium. &c. Hæc potestas nõ fert leges, de negocijs ciuilibus, de bonorũ possessionibus, non gerit gladium, ut cogat homines ad obediendum, tantum docet conscientias de uoluntate Dei, tradit Euangelium, absoluit paue factas mentes, minatur impijs. In summa, docet de pœnitentia & remissione peccatorum. Imperium uero potestas est leges condendi ad prohibendas externas iniurias, & gladio cogendi homines ad obediendum, & puniendi eos qui legibus non obtemperant. Hæc definitio sumpta est ex Paulo Roman. 13. Potestas gerit gladium ad pacem bonorum. Sicut autem cõiugium est ordinatio Dei, tamen si diuersæ res sint con

Episcopi
officium.

Imperium
quid sit.

IN P

seruicium
clatio Dei, ta
ten institutu
si quis claru
sanguinem h
minem. Hic
Constituit
iudicium re
autem ius
naturale u
institutum
Hic enim p
Quidam sa
sensum pop
ure etiam
ria non m
sensum pe
sis latron
Porro d
ratorum q
ciauerunt
Augusto
Sed in his
Cæsari, o
terrarum
scripatur a

IN POLIT. ARIST.

sint coniugium & Euangelium, ita imperium est ordinatio Dei, tametsi Euangelium alia res sit. Est autem Imperij institutum imperium in his uerbis ad Noë dictis, si quis clarum testimonium requirit: Qui fuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius per hominem. Hic enim ordinat hominē qui sumat poenas. Constituit igitur Magistratum. Præterea naturale iudicium rationis est, oportere esse qui imperet. Est autem ius diuinū, ut sepe diximus, ius naturale, seu naturale iudicium rationis. Est & in hoc præcepto institutum imperium, Honora patrem & matrem. Hic enim præcipitur obedientia erga superiores. Quidam falso dicunt, quod imperium det tantū consensus populi, sicut Occam inquit: Nam principes iure etiam iniuris imperant, & iure occupant imperia non modo per electionem aut suffragia & consensus populi, sed etiam per legitima bella, oppres-
sus latronibus, per legitimam successionem &c.

Porro quidam disputauerunt Romanum imperatorem esse monarcham totius orbis terrarum, & citauerunt ex Euangelio: Exiit edictum à Cesare Augusto &c. Item: Date Cesari quæ sunt Cesaris. Sed in his uerbis præcipitur, ut ij qui tunc parebant Cesari, obediant ei, non præcipitur, ut totus orbis terrarum ubiq; uni Romano Principi obediat. Imò scriptura in alijs locis testatur fore, ut Romani, qui

COMMENTARIA

Quatuor
imperia
ordine su-
erunt.

tum magnam partem orbis terrarum tenebant, non
semper teneant idē imperium. Sic igitur sentiemus
nec Romanum Pontificem, nec Cæsare totius orbis
terrarum monarcham esse, sed singuli Reges apud
suos imperant, quemadmodum semper in mundo di-
uersa regna fuerunt. Cæterum quatuor Imperia or-
dine fuerunt, quæ in historijs monarchiæ uocantur:
non quia ubiq; regnauerint aut ius habuerint ubiq;
imperandi, sed quia latissime regnauerunt. Voluit
enim Deus per eam occasiōē orbem terrarū Euan-
gelio aperire, & multa regna coniungere, ut facili-
us ad multos peruenire posset Euangelium. Apud
Assyrios & Persas late propagata est Dei cognitio,
postquàm Daniel in Chaldæam abductus est. Ita Ro-
manis temporibus patebat orbis terrarum, & erat
tuta peregrinatio Apostolis, ut ubiq; docere posset.
Possunt & aliæ causæ colligi. Fortassis ostendere
uoluit Deus in hac regnorū mutatione, quod ipse
regna constituat, quod non possint humana ui retine-
ri. Voluit exemplum ostendere quum eripuit regna
potentissimis populis, quod puniat iniustos &c. Cæ-
terum hoc auget mirabiliter doctrinæ Christianæ au-
thoritatem, quod sola scriptura ordine prædixit suc-
cessionem Imperiorum, quæ cum sic acciderint, con-
stat & à Deo traditam esse scripturam, & Deum au-
ctorem esse imperiorum. Quare meminimus sem-
per

IN P

per presentia
propter Deum
sacramentis eius
illis Testam
Magistratus

R Ex p
Super
gum speci
propter d
statem eis
gendam &
est, qualis
certis leg
li, qualis
in liberos.
sed in Lan
est. Degene
dem. Prop
verum pot
ui contine
imperium
etiam con
Sunt igit
hanc pote

IN POLIT. ARIST.

per presentia Imperia religioſe uenerari, et colere
 propter Deum, qui ſic ornat Magiſtratus, ut gloria
 ſui nominis eis impertiatur, cum inquit, Ego dixi, Di
 eſtis Teſtatur enim ſua auctoritate conſtitutos eſſe
 Magiſtratus, eosq; uice Dei inter homines fungi.

DE VARIIS REGVM

ſpeciebus.

Rex proprie eſt ſumma poteſtas, de qua nullus
 ſuperior magiſtratus iudicat. Variæ autem re
 gum ſpecies extiterunt in mundo. Quia homines
 propter diuerſos regum mores, alias liberam pote
 ſtatem eis permiferunt, alias duxerunt aſtringen
 ſtam & moderandam eſſe. Prima regni ſpecies
 eſt, qualis fuit Heroicis temporibus, ubi reges ſine
 certis legibus imperauerunt, ſed ad utilitatem popu
 li, qualis eſt domeſticus principatus Patrisfamilias
 in liberos. Hæc forma plurimum habet humanitatis,
 ſed in tanta paucitate bonorum principum, rara
 eſt. Degenerat autem in deterioribus in Tyranni
 dem. Proprie enim uocant Tyrannum, qui unus
 rerum potitur, & ſine ſcriptis legibus imperat, &
 ui continet inuitos, & ad ſuam utilitatem conſert
 imperium, poſtulat non æqua tantum, ſed multa
 etiam contra ſubditorum utilitates.

Prima ſpe
 cies regni.

Tyrannus
 quis.

Sunt igitur excogitata uincula quæ iniicerentur
 tantæ poteſtati, additæ ſunt leges regibus, ut ex ſcri

COMMENTARIA

Secunda pto iure gubernarent Rempubicam. Est igitur alia
 species regni. regni species summum imperium, sed certo iure cir-
 cumscriptionum. Quaedam nationes etiam addiderunt
 custodes regibus, qui ius haberent redigendi eos in
 ordinem. Sicut Lacedaemonij addiderunt Ephoros,
 quibus scribit Thucydides licuisse capere regem. Ta-
 les reges nō sunt omnino *δευρακρατορες* seu *δευ-
 κρατορες*. Hoc est, non habent ita summam potesta-
 tem, ut nemini liceat de eis iudicare, aut eorum actio-
 nibus aduersari. Ac serē nunc talia regna sunt. Ha-
 bent enim leges, habent & custodes. In Germania
 sunt Electores, In Gallia certi principes curiae Per-
 lamenti, tanquam ephori regum. Sed alibi plus, alibi
 minus possunt. Neq; enim tutum est aduersari re-
 gum cupiditatibus. Itaq; facile haec uincula perrum-
 punt. Tantum religione aliqua ex parte coherceri
 se patiuntur. Itaq; ualde commoda est haec principū
 & Episcoporum temperatura, sunt enim apposti
 Episcopi, tanquam ephori ad moderandam uim re-
 gie potestatis. Et haud scio, an in statua Danielis lu-
 tum admixtum ferro, significet hanc in omnibus re-
 gnis Episcoporum & principum mixturam

Lutum fer-
 ro admi-
 xtum.

Magnae hic quaestiones tractantur, utrum priua-
 tis hominibus liceat Tyrannos occidere, seu utrum
 liceat uim illatam à domino contra suas leges ui-
 dere pellere, quā uideatur subditus ei catenus obstrictus
 esse,

esse quatenus secundum leges imperat. De hac quaestione facilis est responsio Christianis. Nam Evangelium omnem priuatam uindictam prohibet, et Christus in dicta priuata uindicta prohibetur. Qui acceperit gladium, gladio peribit. quare non licet Christiano occidere dominum, quantumuis Tyrannum: praeterea subditus non tantum obstrictus est domino propter illud pactum, quod inter ipsum & dominum factum, alligat dominum ad certum ius, sed etiam cogitur subijci propter mandatum Dei, quod iubet honore afficere etiam malos Magistratus, & uetat priuatos uim aduersus Magistratus suscipere. Hoc sequi tutissimum est Christiano.

Nonnulli reuocant hoc in dubium, ac disputant licere priuato uim iniustam a Magistratu illatam uindicare, sed id humano more existimant, tunc quoque licere uim depellere, cum licet non obedire. Nos autem sciamus plurimum inter haec interesse iuxta Evangelium, quod uetat obedire si Magistratus iubeant peccare. Et tamen priuatam uindictam. Quare Daniel Propheta & Apostoli non depulerunt uim iniustam, tamen si alicubi non obtemperabant dominis.

Queri etiam hoc loco potest, quam regni speciem approbet Deus. Ac memini hac de re uarias extare disputationes apud Theologos, quidam sentiunt subditos ubique uere seruos esse, ac nihil habere proprium. Alij contra hanc acerbitatem seruilitatis cum

COMMENTARIA

Euangelio pugnare disputant. Et hoc impio prætex-
tu ante quinquennium concitauerunt uulgus, ut li-
bertatem armis recuperaret oppressis principibus.
Circumferebatur impius ac seditiosus libellus in quo
inerat disputatio quod oporteret Christianos habe-
re uacationem munerum, & immunitatem tributo-
rum. Is libellus dicebatur scriptus esse à Schaplero
quodam, qui eo tempore in urbe Memmingensi con-
cionator erat. Hæc posterior opinio, præterquam
quod cum Euangelio pugnat, perniciosior etiam est
priori illa, quam iudicari aliqui tristior em ac in hu-
manior em esse. Itaq; posterior prorsus est repudian-
da, de prior e nonnihil disputandum est, quam memi-
ni agitatã à Iohanne Maiore Parisiensi Theologo.
Sic autem sentiendum est. Primum quod approbet
Deus omnes Politias legitimas, hoc est, ut Paulus lo-
quitur, quæ timori malo sunt operi, & honore affi-
ciunt bonum opus, seu quæ sequuntur iudicium ra-
tionis, & legem naturæ, & honesta præcipiunt, &
turpitudinem prohibent ac puniunt.

Talis politia est ordinatio Dei, ubicunq; gentium
est, etiam si sit alibi clementior forma imperij, alibi
durior. Nam ut in alijs regionibus in curatione mor-
borum acrioribus remedijs utendum est, in alijs le-
nioribus, ita seucioribus imperijs opus est, ubi ferro-
ciora ingenia sunt. Eares peperit uarias formas im-
periorum

IN POLIT. ARIST.

periorum. Alibi uere serui sunt subditi. Alibi regum
 potestas legibus circumscrip̄ta est, & quædam liber
 tas concessa populis. Sicut in Germania, quia Roma
 no iure uiuntur principes, ideo non ubiq; omnes sub
 diti, proprie serui sunt. Approbat aut̄ utraq; for
 mam Deus, & utroq; loco uult principes eo iure
 quod receptum est, uti. In Historijs Regum, ubi Sa
 mueli ius regni describitur, probatur acerbissima
 forma imperij, ornatur hoc titulo, quod ius sit Re
 gum. Significat enim spiritus sanctus legitimum im
 perium, quamuis durum sit, tamen Deo probari. Et
 Ioseph totam Aegyptum in accerbissimam seruitu
 tem redegit. Quare dubitare non debet, quin etiam
 tristior imperij forma, si tamen nihil turpe præcipit
 Deo probetur. Neq; tamen ita iudicandum est, apud
 omnes gentes oportere similem esse seruitutem. Vbi
 regum potestas legibus circumscrip̄ta est, quæ conce
 dunt subditis tenere proprium, & alijs quibusdam
 beneficijs libertatis frui, ibi Principes peccant, cum
 contra suas leges eripiunt proprias facultates sub
 ditis, tanquam seruis. Achab rex Israëlitarum iniu
 ste conatus est eripere uineam Naboth. Quanquam
 enim probauit Deus acerbam imperij formam, ut
 uerba Samuelis ostendunt, tamen in isto populo re
 giam potestatem lege moderatus est. Lex enim tra
 siderat singulis suas possessiones, & uolebat ut serui

COMMENTARIA

lie patrimonialia sua retinerent. Ad hunc modum apud nos, licet tenere proprium his, quibus id imperij iura, ex quibus res apud nos indicantur, concedunt. Neque licet principibus hunc Reipublice statum temere mutare, et uis esset possessionem libertatis eripere his, qui eam beneficio iuris hactenus tenent.

Ceterum ubi uera est seruitus, tamen non licet dominis omnia rapere. Nam ius nature et sacre literae iubent seruis relinqui, quod ad uictum in unda quaque familia sufficiat. Sic enim scriptum est in Ecclesiastico. Cibaria, et uirga, et onus asino. Panis, et disciplina, et opus seruo. Et iura ciuilia seruis peculium relinqui uolunt, et ubique fauent libertati.

Sed libertas habet certos fines intra quos uersari debet. Nam et ius nature, et ius diuinum multa onera liberis imponunt, soluere tributa, parere Magistratui, conferre facultates et corpus ad tuendam communem societatem quoties opus est, et alia quaedam iure descripta. Itaque libertatem ita amplectamur, ut interea meminerimus nos et a Deo, et a natura ipsa cogi, ut pareamus Magistratibus, ut facultatibus nostris, et uita nostra ciuilem societatem iuueamus.

DE LEGIBVS.

In extrema parte tertij libri disputatio continetur, utrum satius sit Reipublicam administrare, ex arbitrio boni principis, sine scriptis legibus, an ex

un scrip
noti tempore
nerecanti u
fiata iuris
dent quia qu
iuris consulu
rum ament
doctrina g
se omnes c
ex arbitrio
tis legibus
quidam iudic
fori, ubi iur
extrahuntur
leret et ne

Recep
sed tandem
certis legibus
tibus iudex
deu, quia si
ca, aut tanta
legibus mod
qua recti se
nitus melius
gratia aut co
lis legum uin

IN POLIT. ARIST.

an ex scripto ac certo iure. Hæc quæstio etiam no-
stro tempore sæpe agitari solet ab indoctis, qui cum
exerceant iudicia, ægre ferunt quod tanquã pueri, di-
ctatã Jurisconsultorum subsequi coguntur, nec au-
dent quidquam de suo consilio statuere. Hoc regnũ
Jurisconsultorum, homines ambitiosos, urit. Et ho-
rum amentiam adiuuant nonnulli literati, sed in alio
doctrinæ genere uersati, qui disputat legibus nõ pos-
se omnes causas comprehendere, & cum pleræq; res
ex arbitrio boni iuri iudicandæ sint, censent aboli-
tis legibus omnia permittenda esse prudentiæ & æ-
quitati iudicis. Vident etiam formam iudiciorum ac
fori, ubi Jurisconsultorum artibus lites in infinitum
extrahuntur. Id non fieret, si iudicis auctoritas ua-
leret & non esset astricta legibus.

Recenset Aristoteles aliquot huiusmodi rationes
sed tandem decernit tutius esse, ut res iudicentur ex
certis legibus, & scripto iure, quia non sæpe con-
tingit iudex aut prudentia tanta, ut sine legibus ui-
deat, quid sit æquissimum ac maxime utile Reipubli-
cæ, aut tanta iustitia, ut non sit opus eius potestatem
legibus moderari. Sæpe enim uirum mediocrem ali-
qua recti species decipit, qui si legibus esset admo-
nitus melius iudicaturus erat. Interdum animo, qui
gratia aut odio impeditus est, morem gerit, quia nul-
lis legum uinculis tenetur. Nam bonos etiam uiros

COMMENTARIA

licentia reddit deteriores. Quare istis uinculis opus est, quæ etiam si perrumpunt aliquando Tyranni, tamen profunt ad regenda & coercenda mediocria ingenia. Præstat autem hoc quod in commune prodest, etiam si interdum secus aliquid euenit, ut medicinam colimus, quia sæpe restituit ægrotos, tametsi non omnes morbos tollere possit. Ad hæc quoties inter se boni uiri in iudicando dissentirent, si nullam certam formam haberent præscriptam? Facile est autem ex talibus dissensionibus oriri maximus motus in rebus publicis, quod ne accidat, summa diligentia prouidendum est.

Sed finge ius dicere uiros summa prudentia, & constantia præditos, qui nusquam falli, nusquam decipi possint, qui neque gratia, neque odio affici aut commoueri queant, tamen ad tranquillitatem proderit, certum extare ius, & certas leges. Nam importuni litigatores non obtemperant, non cedunt iudicini si certum ius sit. Semper accusant, aut fidem, aut diligentiam iudicis, nisi intelligant quam habuerit iudex causam necessariam suæ sententiæ. Itaque scriptum ius munit Magistratus aduersus importunitatem litigantium, qui cum norunt ius, uident iudicem nihil priuato affectu, nihil errore pronunciare, sed sequi præscriptum, quod mutare illi non liceat. Et intelligunt se hoc ius debere tollerare, quod excogitatum est

est, non ad illi
sola retinere
in ciues. Et o
esse latus, cu
Magistratu
gstratibus
pescende m
cum has re
tem detra d
tarum, qua
erroris
tur, cui tam
cuique, cum
ta est, in
Quancum
perit sunt
scriptis leg
causas sue
est opus. H
ximellos q
De disp
artificibus,
regenda, q
difficillima,
in re nõ mo
rimum perit

IN POLIT. ARIST.

est, non ad ullius gratiam, aut priuatam utilitatem, sed ad retinendam societatem & tranquillitatem inter ciues. Et ob hanc causam arbitror initio leges esse latas, cum antea res iudicarentur ex arbitrio Magistratum, semper enim uulgus queritur de Magistratibus. Itaq; uisa est haec tutissima esse ratio componenda multitudinis, certas leges proponere. Nam cum has receperunt, non licebat eorum auctoritatem detractare. Et extabant causae rerum iudicatarum, quae liberabant iudicem suspitione gratiae, odij, & erroris. Si erat iudicatum durius, legi imputabatur, cui tamen irasci non licebat, cum omnibus placuisset, cum antea ab illo ipso recepta & comprobata esset, in quem iam uidebatur esse inclementior.

Ratio
compos=
cenda
multitu=
dinis.

Quaerendum quid opus est disputatione? Omnes usi periti sunt in hac sententia, ut statuant oportere ex scriptis legibus ius dici. Et habent innumerabiles causas suae opinionis, quas omnes hic recensere non est opus. Horum auctoritatem conuenit sequi maxime illos, qui nondum sunt uersati in Republica.

De alijs artibus nullis iudicare permittitur, nisi artificibus, & usu peritis. At de ratione Reipublicae regendae, quae est haud dubie omnium artium longe difficillima, iudicant homines prorsus imperiti, quia in re non modo indignitas summa inest, sed etiam plurimum periculi, quia labefacta auctoritate legum,

COMMENTARIA

non potest tranquillitas Reipublice retineri. Quare hec impudentia publicis pœnis castiganda erat. Nos interea meminerimus Aristotelis sententiam hac de re inscriptam & insculptam animis, ut ius scriptum non modo retinendum, sed etiam religiose colendum esse sciamus. Ac tales uoces prodest insere iuuenum animis, ut assuescant amare leges, & plurimi facere, quod quidem ad efficiendos bonos uiros magnum momentum adfert.

Verba Aristotelis hæc sunt: Ο μὲν οὖν τὸν νόμον κελύων ἀρχὴν, ὁ δὲ κελύειν ἀρχὴν δὲ θεὸν καὶ τοὺς νόμους. ὁ δὲ ἀνθρώπου κελύων προσίθικαι καὶ θεῶν, ἢ τε ἤ ἐπιθυμία τοῦ νόμου, ἢ ὁ θυμὸς ἀρχοῦντας διασφείθει, ἢ τοὺς ἀρίστους ἀνδραῖς. διότι οὗ ἀνὴρ ὀρεξέως νόσος ὁ νόμος ὄσι. Hoc est.

Qui legem uolunt ciuitati dominari, hi uidentur Deum ac leges dominari uelle. Qui uero hominem dominari uolunt, hi beluam præficiunt. Nam huiusmodi quiddam cupiditas est, & iracundia Magistratus deprauat quantumlibet bonos uiros, ideoq; lex est mens sine cupiditate. Nihil grauius, nihil elegantius dici in hac causa potest, quam hoc ab Aristotele dictum est. Quod enim inquit, Deum dominari, si lex dominetur, significat legem certam quandam ac firmam sententiam esse, diuinitus in natura scriptam.

Et

Et ut dicam clarius uocem Dei, quæ iusta & iniusta discernit. Nam Philosophi, quemadmodum sentiunt esse aliquam mentem, quæ hanc rerum uniuersitatem conseruat, ita certas notitias, quæ cum homine nascuntur, & initia sunt artium diuinitus inditas esse naturæ hominis existimant, Nec errant hac in re Philosophi.

Iam ut aliæ nationes aliquando de suis legibus iuris Romæ re quæstæ sint, certe hoc tēpore Germanos minime decet queri, quū Romano iure utimur, quod est plenum humanitatis atq; æquitatis, quod ab hominibus Reipublicæ regendæ peritissimis scriptum est, quod hanc gentē, cuius olim summa barbaries fuit, ad mitiorē ac humaniorē uitā traduxit. Hoc enim uere dici potest, quicquid est humanitatis priuatim nostrorum hominū moribus, quicquid est ciuiliū officiorū in Republica, à Romanis legibus sumptum esse, quibus imbuti nostri homines paulatim illam ueterē immanitatē exuerunt. Quæ est enim pars uitæ ciuilis, de qua nō reperiatur in istis legibus humanis. et honestis. præcepta? Iudeorū leges quanq̃ à Deo traditæ sint, tamē illi gēti magis cōueniebant q̃ possint nobis imponeretur. Neq; enim ideo latæ sunt, ut alijs gentibus imponeretur. Lycurgi politia multa habuitincomoda & uitia Solonis leges ciuiliores fuerūt, sed Solonis in his multa de matrimonijs & alijs rebus correxerunt leges.

COMMENTARIA

runt Romanae. Itaq; nullius ciuitatis, nullius gentis leges praestant Romanis, quae de omnibus ciuilibus officijs: de iudicijs: de contractibus, ita praecipit, ut nusquam à natura, nusquam à ratione discedere intelligatur

Ac meo quidem iudicio, si non uersarentur in foro, tamen in scholis legenda essent ad formanda & accuenda iudicia de rebus ciuilibus. Quare nullo modo ferenda est arrogantia istorum, qui sine hac doctrina cōsidunt se uim aequitatis satis perspicere, aut leges commodiores scribere posse, scilicet, melius uidet aliquis Theologus, qui nunquam attigit Rempublicam, nunquam in foro uersatus est, quae forma iudicij maxime sit utilis Reipublicae, quid in contractibus, quid in diuisione hereditatum aequum sit, quam Papinianus aut Ulpianus, quorum uterq; uitam contriuit non modo in his studijs et foro, sed etiam in imperij administratione, & grauisimis deliberationibus de summa Reipublicae. Atqui noui multos, qui cum in Ecclesijs docere debeant, tamen irrumpunt in forum & curiam, & spreto Romano iure, nouas leges ferre conantur. Et ad hanc rem non usum, non ingenium, non doctrinam aliquam ciuilem afferunt, sed meram impudentiam cum extrema stulticia atq; impietate coniunctam. Hi se ipsi tanquam deos admirantur, praese despiciunt omnes Solonas, omnes Papinianos, omnes Pontanos, ueterum doctrinam

YCTUUI

IN

rum ciuili
 sui somnia
 haberi poss
 et d' d' d' d'
 metus in
 regnum
 quot, M
 arma ca
 busdam
 tores: s
 aduers
 iudicem
 tius, qu
 Sed
 gant Ch
 Itaq; et
 Mosiac
 explosis
 se. Veru
 & cole
 pit. Eua
 tibus pa
 uox. M
 Dei. Ne
 uilibus,
 ait, Mag

verum ciuiliū neq; norunt, neq; nosse student, sed
sua somnia obrudunt hominibus, eaq; pro oraculis
haberi postulant. Huiusmodi Theologi, οὐδ' ἰθαγ
εἰ δ' ὄτες, οὐτ' ἑλέμυαα, ut de Cyclopius Ho-
merus inquit, non hoc agunt ut Christo, sed ut sibi
regnum parent. Vidimus exempla ante annos ali-
quot, Monetarij, Struthij, qui uulgus incitabant, ut
arma caperet aduersus Magistratus. Nunc in qua-
busdam magnis ciuitatibus idem faciunt conciona-
tores: sunt autores suis coniuuratis, ut uim parent
aduersus legitimos Magistratus, ut excusso Cesare,
uindicent se in libertatem. Miseri uolunt omnia po-
tius, quam ut ipsi regnum amittant.

Sed nonnulli prætexunt huic causæ pietatem, ne-
gant Christiano utendum esse legibus Ethnicorum.
Itaq; aut nouas conantur ferre, aut reuocant nos ad
Mosaicas leges, qui uehementissime contendunt,
explosis Romanis legibus, Mosaicas recipiendas esse.
Verum nos sciamus præsentis leges retinendas
& colendas esse. Nam ut præsentis potestati præci-
pit Euangelium obedire, ita præcipit legibus præsen-
tibus parere. Et approbat leges illorum, quia lex est Lex uox
uox Magistratus. Et Roma. 13. uocatur ordinatio Magistra-
tus. Dei. Nam sine legibus, sine iudicijs, sine institutis ci-
uilibus, nulla est in imperijs ordinatio. Paulus autē
ait, Magistratum ordinationem quandam esse.

COMMENTARIA

Quod uero non sit necesse reuocare in forū Moisi leges, facile intelligetis, cui nota est natura Christianæ libertatis. Nam Euangelium non alligat nos ad ritus aut politiam Mosaicam, ut clare testantur Apostoli Actū. 15. cum uetant imponere legē Moisi gentibus. Et argumentantur ex nomine gentium, quum prædictum sit gentes credituras esse Christo, nō debere eas cogi ut recipiant politiam Mosaicam, alioqui enim desinent esse gentes.

Sed obijciunt aliqui.

Omne quod non est ex fide, peccatum est.

Magistratus iudicans ex legibus Romanis, non potest esse certus utrum placeat Deo sententia, quia non habet uerbum Dei.

Ergo quærat leges à Deo conditas.

Respondendum est ad minorem, quæ est simpliciter falsa. Magistratus enim iudicans ex Romanis legibus, potest habere fidem, ac certus esse quod sententia Deo placeat. Habet enim uerbum Rom. 13. & alibi, quo Deus approbat Magistratum, & ciuiles ordinationes. Hoc generale testimonium satis est ad confirmandam conscientiam, sicut in genere scriptura probet alia externa corporis officia, edere, arare, edificare. Et cum hæres sint subiectæ rationi, nihil opus est in scriptura singulas artes tradere. Scriptura reuelat nobis uoluntatem Dei, non hoc agit,

IN E

igitur archi
maceat, qu

DOM

M
qui
sanctum a
physicas n

Nos testim

quæ ostend

pj. Christi

ris sunt. Ce

Ei Paulus u

bebat hoc

tus esse. P

obedire. Cl

ubi aperie

nationis tit

Nabugodon

mus illos d

& multip

manda su

miones, ut

nerentur,

ur, sed pro

IN ETHICA ARIST.

igit, ut architectonicam, medicinam, aut similes artes doceat, quæ ratione deprehendi possunt.

DOMINARI POTEST MAGISTRATUS, QUAMVIS SIT IMPIUS.

Miræ tragœdias excitauit alicubi Vuigleſus, qui contendit eos, qui non habent Spiritum sanctum amittere dominium. Et collegit multas Sophisticas rationes ad confirmandum hoc dogma. Nos testimonia quædam recitabimus ex scripturis, quæ ostendunt, quod imperia tenere possint, etiã impij. Christus enim inquit: Date Cæsari, quæ Cæsaris sunt. Constat autem tunc fuisse impium Cæsarẽ. Et Paulus uocat Magistratum Dei ministrũ, & scribebat hoc ad Romanos, ubi sciebat impios Magistratus esse. Petrus iubet etiam iniquis Magistratibus obedire. Christus inquit: Reges gentiũ dominantur, ubi aperte tribuit Regibus, quales tunc erant, dominationis titulũ ac laudem. Et Daniel clare dicit ad Nabugdonozor, q̄ Deus dederit ei regnum. Et Psalmus illos Magistratus appellat Deos, quos obiurgat & multipliciter accusat. Talibus sententijs confirmanda sunt pectora piorum aduersus fanaticas opinionones, ut etiam malos Magistratus tolerent & uenerentur, non propter priuatos mores Magistratum, sed propter ordinationem Dei. Functio ipsa, et

RIA
are in forã dei
natura Chri
non alige nos
clare testatur
onere legẽ Moï
omine gentium,
as esse Chriſti,
iam Moſaïcam,
um est.
Romanis, non
ententia, quat
se est simpli-
ex Romanis
se quædã sen-
Rom. 13.
m, & ciui-
onium satis
ut in genere
s officia, et
e subiecta
s artes tract
Dei, non doc
egit,

COMMENTARIA

mandatum Dei considerari & coli debet, etiamsi quid in priuatis moribus uitij est.

Et Christianos hoc meminisse oportet, quod propter populi peccata Deus immitat nobis malos & perniciosos Magistratus. Nostra igitur peccata accusamus, non Magistratus, si quid incommodi est in imperio. Itaque quod ab Euripide dictum est, τὰς ἀρχὰς κρατῶν οὐκ ἔστιν ἀμαρτῶν φέρειν χρεώμεν, in primis decet prestare Christianos, qui sciunt imperia Dei ordinationem esse, & habet grauisima precepta, ne hanc ordinationem perturbent, sed ut eam religiose uenerentur, & summa uoluntate pareant.

Verum ad exercenda ingenia recitabimus quaedam argumenta Vulephi sane spinosa, quae ostendunt autorem neutiquam simplici aut sano ingenio fuisse. Sic ratiocinatur.

Dominium ciuile fundatum est in naturali.

Naturale dominium est esse iustum.

Ergo ciuile dominium est esse iustum.

Minorem probat, quia Adam accepit dominium in Paradiso cum originali iusticia.

Respondendum est, minorem esse falsam, quia naturale dominium non est esse iustum, nec oportet iusticiam, praesertim priuatam coniunctam esse, cum dominatione. Quoniam enim Adam cum accepit dominium iustus erat, tamen causa originali iusticia,

IN POLIT. ARIST.

tia, cum non moreretur, non amisit dominium, sicut
 nec rationem amisit. Nihil enim est dominium natu- Dominium
 rale, nisi iudicium rationis, statuens quomodo & naturale.
 quo ordine rebus naturalibus comode uti possimus
 ad tuendam uitam.

Si quis hanc solutionem cauillabitur, poterit op-
 poni ratio firmior. Dominium ciuile fundatum esse
 in ordinatione Dei, ordinatio Dei instituta est eti-
 am post peccatum Adæ. Igitur dominium ciuile po-
 test contingere malis. Semper autem firmiora sunt,
 quæ sumuntur à iure diuino, & ex scripturis, quàm
 quæ sumuntur à ratione. Ideo proximo argumento
 facile potest euertere ratio Vvinglephi. Minor autem
 est manifesta, quod sit ordinatio Dei, ut aliqui impe-
 rent, & alij pareant. Hæc instituta est, uel in hoc
 præcepto, Honora patrem & matrem, uel in uer-
 bis ad Noë dictis, Si quis fuderit sanguinem homi-
 nis, fundetur sanguis eius per hominem: uel cum
 Adæ commissum est imperium in familiam.

Deniq; lex cœpit esse necessaria, post Adæ pec-
 catum, ad cohercendos impios, Ergo cœpit etiam
 necessarius esse Magistratus qui legem exqueretur
 Potest igitur dominium naturale hoc quoq; modo de-
 finire, quod sit lex naturalis, quæ ordinet certos, qui
 præ sint, ad cohercendos impios. Constat enim Adam
 post peccatum retinuisse noticiam naturalem legis,

COM M E N T A R I A

sicut retinuit rationem. Porro à ciuile dominiū est ex
 ecutio dominiij naturalis. Nā ut ordine administren-
 tur Res publicæ, necesse est certis personis mandare
 Magistratus, & reliquis interdiceret administratio-
 ne. Id dicitur ciuile dominium, estq; effectus quidam
 dominiij naturalis. Que uero confusio futura esset
 rerum publicarum, imò & familiarium, si magistra-
 tus, si parentes amitterent dominiū, quoties Deum
 offenderent? Nunquā certa pax esset, ullius familie,
 aut ciuitatis. Quotidie enim haberent seditiosi ho-
 mines causam eripiēdi imperia dominis, non soluē-
 di creditum, cum disputarent dominos esse non pos-
 se, si qui reposerent creditum. Facile enim est inue-
 nire in altero peccatum, quod allegari posset. Argu-
 mentatur & hoc modo Vvinglephus.

Impij quidquid agunt, iniuste agunt,
 Ergo etiam iniuste possident res, & imperia.
 Non sunt igitur uere domini.

Respondendum est, non sequi quod non sint ue-
 re domini, tantum hoc sequi quod dominio abutan-
 tur, quia non addunt fidem erga Deum. Neq; uero
 hic abusus pugnat cum natura dominiij. Vt si quis ar-
 gumentetur

Impij quidquid agunt, iniuste agunt,
 Ergo etiam iniuste comedunt,
 Igitur non uere comedunt.

Hic

IN P
 Hic mar
 hoc d' d' d' d'
 medere, sign
 aut comede
 malam esse
 tare tam p
 nes. Q
 dif

ARG
 A

IN POLIT. ARIST.

Hic manifeste apparet posterius consequens
ἀναλόγητον esse. Iniuste possidere, sicut iniuste co-
medere, significat sine fide coram Deo possidere,
aut comedere. Non significat ipsam possessionem
malam esse, aut cibum malum esse. Sed pudet reci-
tare tam procul accersitas & molestas cauillatio-
nes. Quanquam prodest interdum in talibus
disputationibus hæc exempla ostende-
re iuuenibus, ad acuenda iudi-
cia, ut uideant qualibus
somnia phantasiæ
cæmentes
quum
a
ueritate
semel decurrerunt,
decipiuntur.

FINIS.

ARGENTINAE APVD IOAN.
Albertum, Mense Martio, Anno,
M. D. XXXV.

IM SOUVE A RIST

The manuscript appears to contain a list or index of items, possibly related to the 'SOUVE A RIST' mentioned in the header. The text is faint and difficult to read, but seems to be organized in a structured manner, possibly with columns or sections.

ARGENTINE A V D I O A N

Albertus Magnus
M. D. XXXV